



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXCI. Num Angelus ita habeat determinatum locum, vt in maiori aut
minori esse nequeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Patrum asserentiū, Angelum esse loco definitū, & circumscriptū: quod si in pluribus locis esse posset simul, non diceretur vno definitus: hinc infert Damasc. cum ad terram mittitur, in cælo non manere: non dixit propter nimiam distantiam, sed quia vni loco semper alligatus est & definitus. Primo autem lib. de fide, cap. 17. inquit: *Neque enim in pluribus, ac diuersis locis operari eodem tempore potest. Dydimus* etiam in libr. de Spiritu sancto, longe à principio, postquam discrimen constituit inter Spiritum sanctum, & spiritum creatum, quod ille sit vbique, hic autem determinato loco definiatur, inquit: *Angelus quippe, qui aderat apostolo in Asia oranti, non poterat simul adesse aliis in ceteris mundi partibus constitutis.* Quæ omnia si aliquis interpretetur de locis adæquatis, ita vt in paruis locis intra certam sphaeram Angelus esse possit, aduertat, obsecro, vno loco definiti, idem esse, quod in vno loco tantum esse, sine magno ille sit, sine paruo; id enim nunquam Patres distinguere curarunt.

Ceterum ratione ostendamus, Angelum posse esse in pluribus locis, in quacumque distantia positus, & ita manere posse in cælo quando ad terras mittitur, si semel concedamus, in duobus locis parum distantibus posse locari, primum si posset virtutem suam, & seipsum pluribus locis non continuis, nec contiguis applicare, ita vt distantia parua nihil impediret, eadem ratione magna distantia non obstarat, sicut supra de actione illius in distans disput. præced. c. 2. probabamus. *Hieronymus* Qua ratione *Hieronymus* in tractatu de motu Angeli q. 1. ad tertiam difficultatem, contra suam sententiam docet Angelum posse operari in duobus locis quantumvis distantibus, sine medio, si possit illa duo per modum vnus apprehendere; quod si operari in illa nequit, inde solum inquit provenire, quia non apprehendit plura per modum vnus. Deinde per primum miraculum, quo corpus Christi caret proprietate quantitatis, quam dicunt commensurabilitatem, nouo alio miraculo constituitur in duobus locis vel hostijs, etiam parum distantibus: magis ergo difficile Angelo esse debet, in duobus locis collocari, quam in vno continuo duobus æquali manere.

Obiectio. Sed obijciat aliquis, sicut Christus existens in eadem hostia, si diuidatur, manet in vtraque parte illius, etiam si ille contiguis non sint, sic etiam Angelus manere poterit, & ita in duobus locis non adæquatis perseuerabit. Respondeo, diuersam esse rationem. Nam corpus Christi est in hostia virtute Dei, non quia sit terminata, vel quia sit vna, sed quia tota substantia panis virtute verborum conuersa est in corpus Christi: quare si partes hostiæ separantur, & in quacumque distantia ponatur, semper manet corpus Christi: at Angelus cum sit propria virtute, ita potest esse in corpore continuo, vel in duobus contiguis, vt si separaretur: nequeat in eis esse alioquin, sicut corpus Christi, in quacumque distantia manere posset. Arque hinc ostenditur, quænam sit repugnantia, ob quam Angelus nequeat esse in duobus locis non contiguis, & soluta manent rationes prioris sententia. Ceterum obseruandum est, ideo Angelum esse posse in pluribus corporibus, si contigua sunt, eodem modo atque in vno magno corpore continuo, non autem in pluribus eiusdem quantitatis, si continua non sint, quia sicut contactus corporum plurimum confert, vt ope-

ratio etiam agentis corporei ab vno in aliud diffundatur, & ita virtus in vtrumque operetur, quæ si separata essent, sine medio agere non valeret: eodem modo contactus, siue continuatio, plurimum confert, vt virtus Angeli totam substantiam suam in duobus corporibus, aut in duobus partibus constituat, quam non posset in pluribus separatis, sine medio collocare.

DISPUTATIO CXCI.

Num angelus ita habeat determinatum locum, vt in maiori, aut in minori esse nequeat.

Varia placita Scholasticorum. cap. 1.

Locum Angeli maximum determinatum esse, de minimo autem nihil nobis constare, probabilis est, cap. 2.

Quomodo probet Scotus, Angelum non posse esse in maiori loco in infinitum, cap. 3.

CAPVT I.

Varia placita Scholasticorum.

Cum Angelus in vno tantum loco esse queat, superest vt videamus, an possit in maiori, & minori loco sine termino se constituit. Quæstio autem intelligenda est de minori loco intra litudinem diuisibilem: nam de loco indiuisibili futura est sequens disputatio. In præfati vero controverfia prima opinio sit Durandi in 1. dist. 37. 2. parte distinctionis quæst. 1. num. 26. Qui iuxta modum dicitur, quem secutus est de existentia Angeli in loco, vt vidimus disput. 188. cap. 5. coactus fuit dicere, Angelum vbique esse: quam sententiam sensui Patrum aduersari ibidem monitramus: quare hac solum ratione à nobis quoque rejecta est. Cum vero Nazianzenus, Orat. 24. circa finem, & Hieronymus, in Epist. 53. contra Vigilantium, in illud Apostoli Gal. 3. 14. Et sequantur agnum quacumque ierit: aliter dicunt Angelos & demones vbique terrarum esse. Solum docere volunt, non simul, sed vbiq; motu statim omnia peragere. Hieronymus dicit, summa celeritate vbique esse: Nazianzenus vero omnibus impigre adesse, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem: quibus verbis summam motus celeritatem figuratè voluerunt. Idem denotauit Tertullianus, Apologia contra Gent. c. 22. cum ait: *Omni spiritus alio est: hoc Angelus & demones, igitur momento vbique sunt.* Ex quibus Patribus etiam confutatur sententia Durandi, cum plane dicant Angelos moueri, idque Durandus in sua sententia concedere nequeat: refellitur etiam aliorum testimonio, qui docent Angelos moueri, quos disput. 194. c. 2. recenscebimus.

Secunda opinio est *Hibernici* in 1. dist. 8. quæst. 1. in solutione 4. Quem refert Gregor, hic aliter dicit Angelum in determinatum locum sibi positum, vt nec in minori esse possit: quinimo locum Angeli esse circularis figuræ. Addit præterea, si contingat Angelum aliquando minus corpus altingere, substantiam illius aliqua ex parte necesse est esse extra illud, & si assumat alterius figuræ, quam circularis, similiter. Hanc sententiam secutus videtur *Bassolis* in secundum dist. 2. quæst. 4. dist. artic. 1. & præsertim in solutionibus argumentorum.

Tertia est opinio Scoti in 2. dist. 2. quest. 6. qui quamvis §. De isto articulo, dixerit esse locum determinatum angelo indeterminate, hoc est maximum, qui maior esse non possit & minimum, quo minor non sit, §. tamen sequenti fatetur hanc sententiam dubiam esse, & oppositam similiter, quæ allerit, Angelum habere locum determinatum determinate, hoc est, talem, vt non in maiori, nec in minori vnquam sit, quia pro nulla parte ratio suppetit, quæ aperte conuincat.

Quarta opinio sit eorum, qui dicunt Angelum sibi postulare locum maximum determinate in quo esse possit, & non in maiori: non tamen locum minimum, seu posse in minori, & minori in infinitum collocari. Loquor de minimo diuisibili, nam de indiuisibili alia erit questio. Sententia est Bonau. in 2. dist. par. 2. art. 2. q. 3. ad 3. Gab. dist. 2. qu. 2. art. 3. dub. 2. Maior. quest. 9. & Marfil. in 2. artic. 2. post sextam conclusionem, Ocam quodlibet. 1. quest. 4. quam Greg. probabiliorum arbitrat eadem dist. quest. 2. art. 2. in dubio quodam de hac re, quamvis dicat oppositum non satis impugnari. Eandem tradunt Aegid. in 1. dist. 3. 7. 2. par. distinctionis art. 1. quest. 2. Ricard. artic. 2. quest. 2. & Caiet. in commentario huius art. Ea vero de maximo loco infra sufficienter probabitur: de minimo sic ostenditur. Versus minimum non datur minimus locus indiuisibilis, ergo Angelus in minori poterit seipsum collocare: nam cum nullum habeat corpus, & in quavis minori, & minori parte corporis totus sit, quando est in toto, efficitur in minori & minori manere posse.

CAPVT II.

Locum Angeli maximum determinatum esse, de minimo autem nihil nobis constare probabilius est.

Ego quidem existimo primo cum Doctoribus proxime allegatis, esse aliquem maximum locum Angeli, in quo ita possit esse, vt in maiori non possit. Secundo cum eisdem assero, angelum posse esse in minori aliquo loco. Tercio nihil nobis constare, an detur minimus locus, vt in minori esse nequeat, vel infinitum in minori, & minori diuisibili possit locari. Prima pars contra Durand. facile probata est: si enim non esset maximus locus, in quo posset esse: sequeretur in toto vniuerso collocari posse, quod iam diximus esse absurdum. Hoc autem argumentum non solum probat, esse terminum aliquem, ultra quem Angelus esse non possit, quem terminum extrinsecum Philosophi vocant; Verum etiam esse terminum intrinsecum, hoc est, esse aliquem locum determinatæ quantitatis, in quo secundum omnes illius partes angelus esse possit, & in maiori non possit: cum enim virtus Angeli sit determinata in se, effectum postulat terminum intrinsecum definitum. Secunda pars contra Hibernicum ostenditur. Primum, certum est, angelum assumere posse corpus aliquod paruum, minus quidem maiori, quod potest assumere: mirum autem est, quod ille dicebat, tunc nimirum aliquid substantiæ angeli necessario est extra corpus illud: cum enim angelus sua substantia sit totus in toto, & totus in qualibet parte: cur fieri non potest, vt ipse totus maneat in vna parte illius, & non in alia? substantia enim, quæ non determinat sibi situm secundum mensuram quantitatis, sicut

Vasquez in 1. p. tom. 2.

substantia Christi, non dicitur coarctari, si in minori loco ponatur: quis ergo dicat, ita debere esse in magno corpore, vt in minori esse nequeat? Deinde probatur efficacius: eadem enim anima rationalis, quæ magis intrinsece corpori adest, quæ Angelus, omnino immutata potest esse in maiori & minori corpore, ipsum animando, ergo & angelus, qui nihil virtutis, & virtute corpori præbet, multo maiori ratione in maiori, & minori corpore poterit locari. Anima quidem rationalis non pro sua voluntate, sed secundum diuersas dispositiones corporis, quia neque voluntate adest corpori: angelus vero pro libito, quia libere in quouis corpore se constituit. De animabus aliorum animantium alia est ratio, nam si extensæ sunt, cum ipso corpore creiunt, si autem aliquæ extensione carent, eodem modo quo rationalis in maiori, & minori esse possunt. Quod vero Author dicebat de circulari figura loci, quam Angelus sibi postulat, commentitium plane est. Cum enim angelus sit indiuisibilis, totus in toto, & totus in quavis parte, & cum corpore non componat aliquod animal, quod ad suas operationes talem figuram exposcat, consequitur in corpore cuiuscunque figuræ posse locari.

Tertia pars nostræ sententiæ de loco Angeli versus minimum, probatur, quia nulla ratione constare nobis aliquid potest. Quod enim angelus sit indiuisibilis, non satis videtur, vt inde colligamus, in minori, & minori in infinitum posse constitui: nam cum substantia eius indigeat aliquo modo, vt vnatur corpori, nec ipsa per se sola adsit non satis, certum est, vtrum modus ille requirat determinatam quantitatem, Cui angelum faciat præsentem, iam non. Et quidem, si certum esset, angelum posse esse in loco indiuisibili, hoc est, in puncto, inde euidenter colligeretur esse posse in quouis loco minori, & minori in infinitum, eadem namque ratio esset, cum tamen id non sit manifestum, vt sequenti disp. patebit, inde nihil probari potest. Contra vero ego non video aliquid ob stare, quo minus Angelus in minori, & minori loco diuisibili in infinitum possit collocari. Nam quævis anima rationalis non possit minus, & minus corpus in infinitum animare, vt tamen optime notauit Bonau. id provenit ex eo, quod effectus formalis illius in materia postulat quantitatem aliquam determinatam, vel saltem extrinsecum aliquo termino finitam, at vero angelus cum non informet corpus, in quo est, sed tantum illi assistat, hac ratione impediretur minori, & minori corpori adesse. Inde tamen non licet colligere, vt contēdit Bonau. angelum posse esse in minori loco in infinitum, nam quamvis non appareat repugnantia aliqua, non statim sequitur, vt affirmare possimus, illud esse Angelo possibile, alioqui de quavis herba asserere possemus, huic vel illi agri-tudini posse mederi, si nobis non appareat aliqua contradictio; quod nullus concedet, hoc solum diuinæ potentie concedimus, vt si non appareat contradictio, dicamus, id à Deo fieri posse.

CAPVT III.

Quomodo probet Scotus, Angelum non posse esse in minori, & minori loco in infinitum.

Quamuis Scotus definire non audeat aliquid de loco maiori, at minori Angeli, quædam tamen

Qq

tamen argumenta proponit questione illa 6. §. Adpropositum, quibus probare nititur, Angelum non posse esse in loco minori, & minori in infinitum.

1. argum.

Primum est, si Angelus posset esse in minori, & minori loco in infinitum, posset esse in magis arcto loco in infinitum, hoc est, in quadrangulo magis angusto: posset ergo Angelus esse in longiori quadrangulo in infinitum, & ita simul in celo, & in terra: imo in maiori quoque longitudine esse posset: quia ex 35. propositione libro primo Euclidis evidenti demonstratione constat, idem corpus, quod est in vno loco, posse esse in quouis alio æquali, verbi gratia, si corpus implet locum quadratum, implebit quoque quadrangulum æqualem, quātumvis latera coarctentur, hoc autem intelligitur, nisi figura obicit: poterit enim liquor aliquis ita crassus esse natura sua, vt non possit in quadrangulo nimis arcto collocari: ergo cum Angelus non habeat figuram, quæ id impediat recte poterit esse in quadrangulo magis, & magis angusto in infinitum.

Euclid.

Caetan.
1. resp. Caetan.
tan. admittitur.

Respondet Caetan. in hoc articulo bifariam. Primum propositionem Euclidis intelligi tantum de corporibus, quæ sua quantitate replent locum, non de Angelis, quæ solum præsentia substantiæ suæ in loco esse dicuntur. Et quidem demonstrationes de quantitate solum replente latera quadrati, & quadranguli procedunt. Deinde respondet, etiam si de spiritibus intelligatur, inde non colligi, Angelum posse esse in loco infinito, & ita nullum sequi absurdum, quia etiam si arctentur latera quadranguli, non sequitur pexuere ad quadrangulum infinitum. Ceterum licet actu dari non possit quadrangulus infinitus: quia tamen, vt demonstrat Euclides ibidem, crescere potest quadrangulus ille, vt ille, qui esset bipedalis, excederet longitudine celum, ex quo sequeretur, Angelum esse posse simul in celo, & in terra, quod Patres putant absurdum, vt capite præcedenti dictum est, ideo dicendum est, aliam esse rationem corporum, aliam vero spirituum, & demonstrationem Euclidis in corporibus tantum locum habere. Quare decipitur Maior loco citato, cum asserit, posse, coarctato illo quadrangulo, Angelum in eo ita perseverare, vt simul esset in celo & in terra.

2. argum.

Secundum argumentum, Alicuius virtutis est, constituere se in aliquo loco, & maioris in minori se collocare: ergo si in minori posset in infinitum, haberet virtutem infinitam ad hoc efficiendum. Respondet Caiet. posse se in minori loco applicare, non esse maioris virtutis in Angelo, sed id ex voluntate ipsius pendere, ex qua æque potest in vno, atque in alio loco consistit.

Respons.

3. argum.

Tertium argumentum, quando Angelus est in aliquo loco adæquato, totus est in toto, & totus in quavis parte, potest ergo totus manere in parte quacunque minima, alijs relictis, Respondeo, etiam si totus sit in quavis parte, & ideo non repugnet, esse in minori aliquo loco: si tamen aliunde postulat certam quantitatem minorem, vt ei applicetur, ratione modi, quem debet habere substantia illius, sicut anima postulat ratione animationis, non poterit esse in quavis minima parte, etiam si totus sit in quavis, quando simul in omnibus est, sicut anima rationalis. Fateor rationes magis suadere, Angelum posse in minori, & in

Edus solus.

ARTIC. II.

minori loco esse propria virtute: adhuc tamen non satis id nobis constat. De corpore Ch. 1. 1. 1. in Eucharistia, est alia ratio: hoc enim cum non sit propria virtute, sed virtute Dei, manebit in minori parte, & minori in infinitum, in qua possit panis substantia conservari, & Angelus similiter, si virtute Dei collocetur, an vero à se ipso ad minorem, & minorem locum possit se applicare, non est manifestum.

DISPUT. CXII.

An possit Angelus esse in loco indivisibili.

Dua sententia Scholasticorum opposita. cap. 1.

Sententia Scoti. cap. 2.

Quare Angelus, qui movet calum, non sit in toto, sed in aliqua parte illius. cap. 3.

CAPUT I.

Dua sententia Scholasticorum opposita.

DE loco indivisibili, hoc est, de puncto mathematico, dissentiant quoque Theologi. Prima opinio est Sancti Thomæ in hoc articulo asserentis Angelum posse esse in loco indivisibili, hoc est, in puncto, quem sequuntur Ricard. in 2. 2. d. 2. articulo 2. questione 1. Capred. questione 1. articulo 1. conclus. secund. Bassilius quest. 4. artic. 2. Finesius quest. 3. contra gentes cap. 66. §. 5. Ad rationem principalem, Caietan. & recentiores multi Theologi in hoc articulum; verum in fundamento, & ratione illius non conveniunt. Ricardus, cum asserat Angelum esse in loco per suam substantiam tantum quam per fundamentum, vt vidimus disputati, cap. 6. ea ratione docet, Angelum esse posse in loco indivisibili, quia in se simplex est, hoc est, indivisibilis, & absque extensione: quid ergo mirum, si substantia loco indivisibili de puncto celum respondeat? At Sanctus Thom. & alij, qui docent esse in loco per operationem, sicut per applicationem suæ virtutis, vt ibidem cap. 2. & 4. regulimus, ideo asserunt, Angelum posse esse in loco indivisibili, quia non est in toto corpore quod movet, sed in ea parte, per quam primo suam virtutem applicat, vt in ceteris derivatur. Et quia potest applicare illam per punctum, & per partem divisibilem, ideo in puncto recte potest locari, sicut vnum corpus per punctum potest aliud movere, si per punctum tantum ipsam contingeret.

Secunda opinio magis communis est eorum, qui affirmant Angelum non posse esse in puncto corporis. Hec fuit Alexan. 1. part. quest. 3. 6. memb. 2. Bonavent. in 2. dist. 2. part. 2. artic. 1. quest. 3. Gab. quest. 1. artic. 3. dub. 2. Gregor. 9. artic. 2. ante 2. d. 1. quod ibi proponit, Maior. 4. 9. Aegidius in 2. dist. 3. 2. par. art. 1. quest. 2. Osim quodlibet. 1. quest. 4. Maior. in 2. dist. 2. artic. 2. post quintam conclusionem verum neque hi Doctores eodem fundamento nituntur, quæ hi Doctores eodem fundamento nituntur, Alex. & Bona. ita docuerunt, quod existimant, locum corporeum debere esse divisibilem, & esse alicubi, atque in loco corporeo esse, pro eodem reputant: in puncto autem esse, & nullum esse, non differre. Reliqui vero, quos allegant præter Aegidium, eam sententiam fuerunt secuti, quia arbitrati sunt, puncta indivisibilia re ipsa in corpore